



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

82. Viros gloriosos, &c. Beatificatio Servi Dei Joannis Francisci Regis  
Sacerdotis Professi Societatis Jesu, ejusque Missæ, & officii certis in locis  
concessio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

Aliam Indulgentiam elargitur Interfessentibus recitationi Litaniarum omnium Sanctorum.

§. 2. Præterea eisdem Christifidelibus, qui recitationi Litaniarum omnium Sanctorum cum Collectis, & precibus tempore belli contra Paganos, recitari solitis in aliqua ex Ecclesiis Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum prædictorum per memoratos Locorum Ordinarios respectivè designandis, anno à die publicationis earumdem præsentium computando durante dumtaxat, itidem devotè interfuerint, ibique, ut supra dictum est, oraverint, quocumque die interim id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu per eos quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Ecclesiæ consueta relaxamus; Nec non, ut omnes, & singulæ Indulgentiæ, seu peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes prædictæ animabus Fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, indulgemus.

§. 3. Denique Regularibus utriusque sexus in perpetuâ clausurâ viventibus, nec non aliis Christifidelibus quibuscumque in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu aliquo quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à Locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque injungere possit, quæ ipsi Pœnitentes adimplere poterunt, similiter indulgemus.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem proctus fides habeatur, quæ haberetur ipsi præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Octobris MDCCXV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

F. Card. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimoquinto, Indictione Octava, die vero duodecima Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papa XI. Anno ejus decimo quinto, supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ SS. Apostolorum, Petri, & Pauli, Cancellaria Apostolica, in Monte Citorio; in Acie Campi Flora, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Antonium Placentinum Apost. Curs.

Andreas Grecus Magister Curs.

LXXXII.

BEATIFICATIO

Servi Dei Joannis Francisci Regis Sacerdotis professi Societatis Jesu, ejusque Missæ, & Officii certis in locis concessio.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proceum.

Viros gloriosos, qui divites in virtute, adepti sunt gloriam in conversatione gentis, hoc

est: Sanctos, & Electos Domini, quos clarioribus multiformis suæ gratiæ charismatibus exornavit Divina dignatio, laudandos esse monet Spiritus Sanctus; Decet siquidem eis, quos æternus Judex immarcescibilis gloriæ coronâ donat in Cœlis, & quorum Sanctitatem sequentibus signis testatam facit in terris, debitæ venerationis cultum etiam à Fidelibus exhiberi, ut sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesiæ.

§. 1. Hos inter, cum longè, latèque refulserit Dei Servus Joannes Franciscus Regis Sacerdos professus Societatis Jesu, qui nimirum virtute indutus ex alto, portansque jugum ab adolescentiâ suâ, pœnitentiæ austeritatem cum innocentie candore usquequaque conjunxit: ac, jugiter dilatante cor ejus Spiritu Sancto, in omnibus exhibuit seipsum, sicut Dei Ministrum, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in scientiâ, in suavitate: præcipuè verò in charitate non fictâ, quâ in Deum, & proximos mirabiliter astuavit; Apostolici muneris, quod Nos, viribus licet, & meritis longè impares, gerere voluit Altissimus, ratio exigit, ut illius honorem, ac venerationem, ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decus, Christianique populi spirituales ædificationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere studeamus.

§. 2. Cum itaque maturè, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum processibus ritè, ac rectè confectis super vitæ Sanctitate, & Virtutibus heroicis, quibus idem Servus Dei Joannes Franciscus multipliciter claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, & ad manifestandam hominibus illius Sanctitatem à Deo patrata fuisse asserbantur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unâque voce censuerit posse, quando-cumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari, cum consuetis indultis; Hinc est, quod Nos piis, atque enixis quamplurium Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum Regni Galliarum, ac potissimum Provinciæ Occitanie, nec non dilectorum Filiorum Magistrarum, Procerum, & Populorum Provinciæ hujusmodi, ac totius insuper Societatis Jesu supradictæ supplicationibus (quas dudum etiam claræ memoriæ Ludovicus XIV., dum viveret, Francorum Rex Christianissimus devotarum suarum precum accessione roboraverat) Nobis super hoc humiliter porrectis paternâ benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium consilio pariter, & assensu, autoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei Servus Joannes Franciscus Regis in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in Processionibus circumferenda) exponantur; Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo recitetur Officium, & Missa celebretur de Confessore non Pontifice singulis annis, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, die xxiv. Maii, cum dies xxxi. Decembris, quâ ipse Servus Dei spiritum Creatori reddidit, & aliæ plures illam subsequentes, ut notum est, impeditæ reperiantur.

§. 3. Porro recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infra scriptis, videlicet: in Opido de

Narrat virtutes, & merita Servi Dei Jo. Francisci Regis.

De Consilio Congregationis Sacrorum Rituum Beatum declarat eundem Dei Servum.

Indulget, ut ejus Corpus, & Reliquiæ venerationi exponantur, Imagines exornentur, ac de eo Missa, & Officium in certis dumtaxat locis celebrentur.

Loca designat, ubi Missam celebra-

ri, & Officium recitari permittit.

Solemnia Beatificationis ejusdem Servi Dei primo tantum anno sub Ritu duplici majori celebrari indulget.

Derogat quibuscumque contrariis, & fidem transumptis haberi mandat.

LXXXIII.

Exordium a pietate, ac zelo Regis Portugalliae, qui validum bellicarum Navium subsidium ad versus Turcas Corcyram obsidentes transmisserat.

Foncoverte Narbonensis Diocesis, in quo dictus Servus Dei natus est, in Pago Lalovefii Viennensis Diocesis in Delphinatu, unde ad Caelos evolvit, & ubi venerabile ejus Corpus requiescit, ac in Civitate Aniciensi, in qua plurimum annorum spatio, & penè usque ad suum obitum habitare consuevit, ab omnibus utriusque sexus Christianidelibus tam Saecularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, nec non in universa Societate praefata, & quantum ad Missam attinet, etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias ejusdem Societatis confluentibus.

§. 4. Praeterea primo dumtaxat anno à datis hifce literis, & quoad Indias à die, quo eadem litera illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis Oppidi, Pagis, Civitatis, & Societatis hujusmodi respectivè Solemnia Beatificationis ejusdem Servi Dei cum Officio, & Missa sub Ritu Duplici majori, die ab Ordinariis respectivè constituta, & intra sex menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia: pro qua re supradictam diem 24. currentis mensis Maii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii praedictae Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Praefecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die octavae Maii MDCCXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimosesto.

F. Card. Oliverius.

IMPOSITIO SUBSIDII

Unius millionis Cruciatorum ad favorem Regis Portugalliae pro sumptibus belli contra Turcas.

Venerabili Fratri Vincentio Archiepiscopo Laodiceae nostro, & Sedis Apostolicae apud Regem Portugalliae Nuncio.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum Charissimus in Christo Filius noster Joannes Portugalliae, & Algarbiorum Rex Illustris non minus pro eximia sua pietate, egregioque, quo fervet, honoris Dei, & Catholicae Religionis tuenda zelo, quam nostris paternis officiis, atque hortationibus excitatus validum complurium bellicarum Navium tam Classi nostrae Pontificae, quam aliis Navibus, & Triremibus ab aliis Regibus, Principibus, & Rebuspublicis Christianis contra Turcas missis, seu mittendis unendarum, ac insimul adversus eostem Turcas, Civitatem, & Arcem Corcyren. vehementi obsidione urgentes, militaturarum subsidium transmissit; Vires verò Ararii ipsius Regis tam praeteritis bellis, quam gravissimis praedictarum bellicarum Navium expeditione, haetenus factis, sumptibus attrita, nec non Laicorum ei sub-

jectorum facultates ulterioribus in ejusmodi causam faciendis expensis pares minime futurae sint, ac proinde idem Joannes Rex aliquo praesentaneo ex rebus, & bonis Ecclesiarum, & Locorum Piorum in ejus Regno, aliisque dominiis consistentium subsidio à Nobis juvari plurimum desideret, praesertim quia aliud simile subsidium, quod Nos dudum per quasdam nostras in simili forma Brevis die xvi. Aprilis MDCCXII. expeditas Literas, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, à Personis Ecclesiasticis tam Saecularibus, quam Regularibus Regnorum, & dominiorum praefatorum in causam necessaria eorum defensionis sub certis modo, & forma tunc expressis persolveri posse permisimus, suum effectum non habuit, nec nostrae Literae hujusmodi executioni demandatae fuerunt; Nos licet ab Ecclesiarum, & Personarum Ecclesiasticarum, ac Locorum Piorum gravaminibus animo sumus maxime alieni, nihilque magis Nobis cordi sit, quam eorum libertatem, & immunitatem illibatam conservare; considerantes tamen hac in re universae Christianae Reipublicae, immò ipsius Dei, cujus Tempa, & Sacra violantur, veraque Religio per Mahumetanæ abominations propagationem concutatur, & pervertitur, causam agi, adedque non minus Clericorum, quam Laicorum interesse, ut communis, & infensissimi Christiani nominis hostis conatus, & audacia reprimantur, afflictæque rei Christianae opportune subveniatur, ejusdem Joannis Regis postulatis quantum Nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere volentes, nec non memoratum subsidium à Nobis alias, sicut praemittitur, selvi permissum, expeditaque desuper Literas nostras supradictas harum serie revocantes, irritantes, & annullantes, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuantes, de Nobis divinitus attributæ potestatis plenitudine, unum aliud subsidium, seu contributionem unius millionis Cruciatorum monetae Portugalliae super omnibus, & singulis fructibus, redditibus, & proventibus omnium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Collegiarum, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Hospitiorum, Domorum, & aliorum Locorum Regularium utriusque sexus, ac Archiepiscopatum, Episcopatum, Abbatiale, Conventuale, Capitularium, & aliarum Mensurarum, Prioratum quoque, Praepositarum, Praepositatum, Praeceptoriarum, seu Commendarum, Canoniatum, & Praebendarum, Dignitatum etiam post Pontificales majorum in Cathedralibus, & principalium in Collegiatis Ecclesiis, Personatum, Administrationum, & Officiorum, ceterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam de Jurepatronatus dicti Joannis Regis, aliorumque Principum, & Laicorum, etiam ex fundatione, & dotatione existentium cum Curâ, vel sine Curâ Secularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Carthusiensis, Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi, aliorumque Ordinum quorumvis utriusque sexus, etiam Mendicantium ex privilegio, & alias bona immobilia, seu certos redditus quoquo modo Ecclesiasticos habentium, nec non Societatum etiam Jesu, ac Sancti Salvatoris Lateranensis, & Sancti Joannis Evangelistae, aliorumque Congregationum, & Institutorum Regularium quorumlibet tam Virorum, quam Mulierum; praeterea Hospitalium pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus ultra usum Infirmorum, & alia, pro quibus instituta sunt, pia Officia exercenda possidentium; nec non Militarium, ceterorumque Locorum piorum quorumcumque in Regnis, & Dominis eidem

Et aliud pecuniarium subsidium à Pontifice obtentum nondum exegerat.

Abrogato priori subsidio Pontificis novum subsidium unius millionis Cruciatorum super fructibus, redditibus, & proventibus Portugalliae, & Dominiorum ejusdem Regis imponitur.

Excipit S. R. E. Cardines, Officium S. Inquisitionis, & Militares Hierosolymitanos.

Joanni